

h. 103, 19.

(X2000333)

Ya
387

AD
SYNODUM DIOECESANAM
ANNÆMONTANAM

Ad D. XXVI. Jul. A. O. R. M DC XCIX.

IN

TIMORE DOMINI
CELEBRANDAM

ADMODUM REVERENDOS

DNN. COLLEGAS, SENIORES,
PASTORES, DIACONOS ATQUE
SUBSTITUTOS

OFFICIOSE INVITAT

L. GEORGIUS HENRICUS
GOETZIUS.



AD
PHILOSOPHIAM
MAGISTERII
IN
THEOLOGIA
CANTONIS
BASELII
SUPERIORIS
SIVE
LUDWIGI
GEORGII
GOTTFRIDI

BASELII
MDCCLXXII





LAUDIUS CLEMENS, Ornacensis, in Comitatu Burgundiæ e Societate Jesu, Regius Professor Eruditionis in Collegio Imperiali Madritensi, conscripsit Librum, cui titulus est: *Musei, sive Bibliotheca, tam privata quàm publica, Extructio, Instructio, Cura, Usus.* Editus is est Lugduni sumptibus Jacobi Prost M DC XXXV. in 4to. Quatuor autem partes hujus libri fecit, *prima* agit de Museo, seu Bibliothecæ Extructio, ac *in sectione primâ* varios fines Bibliothecarum seu Museorum extruendorum proponit, *sectione secundâ* loca Bibliothecis destinata describit, *sectione tertiâ* Museorum seu Bibliothecarum Inscriptiones tradit, *quartâ* simulacra quatuor hominum olim in Museis & Bibliothecis posita recenset, *quintâ* picturas elegantiores emblematicis stipatas sistit, *sextâ* præcepta emblematica, seu emblemata præceptiva pingendi in coelo Musei exhibet, *septimâ* commendationes studiorum emblematicas offert, ac tandem *in octavâ* pluteos, loculamenta, imagines virorum benè de re literariâ meritorum, ac librorum in suas classes titulosque distributionem addit. Primam excipit *secunda* pars, quæ *quatuor* pariter sectionibus absolvitur, ita ut *prima* ordinationes armariorum, statuas, & icones principum cujusque scientiæ, ac de singulis facultatibus breves dissertationes complectatur. Et cum in Armario I. de Bibliis sacris verba facit, statim appendicem huic capiti addit, de furtis Biblicis Poëtarum. In *sectione secundâ* ad Musei perfectionem Instrumenta mathematica, Numismata antiqua, Erudita Rudera temporis prisca, ac quædam naturæ artisque miracula exigit, atque, ut globus æ

sphæra in medio Bibliothecæ conspiciatur, monet. Hæc absolutâ, tertiam producit, libros aditu Bibliothecæ interdicendos vel etiam cremandos commemorans, ac in quartâ de privatis Bibliothecis agens tum Ecclesiasticorum, tum Principum & Nobilium Musea exornare annititur. Tertia libri pars, quæ Musei sive Bibliothecæ curam sibi vendicat, duabus tantum gaudet Sectionibus, adeo ut in primâ personas Bibliothecam accurantes, in alterâ verò singularia nonnulla, quoad cultum & curam Bibliothecæ, describat. Quarta denique pars Musei Usus binis sectionibus commendat, ac in priori Axiomata philologica ad comparandam sibi, & tradendam aliis eruditionem, præsertim amœniorem, eruit; in posteriori verò Introductionem compendiariam ad eloquentiam & styli exercitationem suppeditat. His ergo prolixè expositis, Bibliothecæ Hispanicæ Escorialensis Descriptio additur ac parænesis allegorica ad amorem lectionemque literarum. Nec Indices desunt Rerum Verborumque Notabiliorum atque Emblematum. Ast nunc breviter strictimque, quantum Institutum permittet ratio, exponemus, quid de Scriptore hoc sit judicandum. Placet autem præ cæteris Danielis Georgii Morhofii, elegantioris literaturæ vindicis ac ingeniorum arbitri accuratissimi sententiam, de hoc latam, audire, quæ in Polyhist. Liter. Lib. I. C. XVII. p. 191. legitur: *Multa coacervat hic Autor ad hoc argumentum; Est in alienis potius occupatus & generalibus, in externis, quæ spectant ad ornamentum Bibliothecæ, in picturis & similibus. Scilicet ille phaleras tantum, non Pegasus ipsum curat.* Inde ad Bailletum provocat, ejusque testimonio dicta sua illustrat, quod, Gallicis verbis expressum, ita Latine reddi potest: *Inest (libro scil.) aliquid eruditionis, sed multum nugarum & materie indigestæ, quod si ergo judicium habuisset Autor, quicquid boni in dicto opere continetur, in librum parvæ admodum molis conjecisset.* Eò libentiùs itaque huic assurgo, quo verius illud esse deprehendo. Celebratur aliàs hic CLEMENS in Biblioth. Script. Soc. Jesu p. 150. quod non solum Rhetoricam apud Sequanos Dolæ per aliquod temporis spatium docuerit, sed etiam Madriti, cum Academia ibi recenter instituta esset, in Imperiali Collegio ut Regius Eruditionis Professor, ad Justi Lipsii & Ericii Puteani exemplum, omnes partes laudis haud intermorituræ sit consecutus. *Vir fuit, ita pergit Autor, religiose admodum modestie, & animi divina semper spectantis*

ima-

imago. Mortalitem verò, cùm in hecaticam incidisset, explevit A.
M DC XLII. Varia notantur scripta, quæ ab illò edita sunt, tum Lati-
nè, tum Gallicè, tum Hispanicè. Ipse CLEMENS in hóc, quod recen-
suimus, scriptò Lib. II. Sect. I. Cap. III. p. 302. mentionem facit orationis,
Lugduni A. M DC XXII. habitæ, (mendum ergò est, quando in Biblio-
thec. Jesuit. 1628. scribitur, ceu ejusmodi mendis pluribus illa scatet)
de Christianâ simul & humanâ majestate Ecclesie Lugdunensis. Cæte-
rum de *Gentilitiis Symbolis ac Tesseris & Rescutariâ* quædam conjecisse,
in chartam dicitur, quæ tamen in publicum Eruditorum conspectum,
nondum prodierunt. Museum interim illud, quod aperuit nobis, li-
bet adhuc intrare, inque illò nonnulla attentiori perlustrare oculò.
Principiò Regis Catholici, Philippi IV. splendor nos percellit, quem à
tenerrimò, quò literas complexus est, amore laudat, eumque Musarum
Contubernalem, prout Theodosius olim id reportavit cognomen, salu-
tare haud veretur. *Est Princeps*, Lib. I. sect. II. Cap. III. p. 38. ait, *sicut Uni-*
versitatis omnium disciplinarum admirabiliter capax, ita plurimarum,
presertim regiarum egregiè peritus, studiorumq; fautor optimus maximus.
Sanctam DEI Genitricem laudibus nimis, ac si in ipsum Deum conji-
ceret, evehit, eamque Musarum cultoribus vehementer commendat.
Una est Θεοτόκος Maria, una invictissima virago, que tecta cælestibus ar-
mis ita cum dracone tartareò congressa est, ut illius caput contriverit, ex-
torseritque infinitam prædam, quam convehebat in sua latibula, & capti-
vos homines in æternæ vitæ libertatem (inferis ne quicquam frementibus)
vindicavit. Confugiamus, quotquot damus operam literis, ad illius patro-
cinium, quæ admirabili virtutum omnium splendore circumfusa, Christum
JESUM, divinum illum solem, enixa est. Illa, secundum Deum, sit Musei
nostri ac nostrorum studiorum *Præses.* Et ne frustra hæc scripsisse vide-
atur, ad *Hermannum Contractum*, qui seculum XI. illustravit, ac *Alberti*
Magni, seculi decimi tertii Doctoris, *Exempla* respicit, ac nescio, quam
veritatem inde elicere meditatur. Ast dictis hisce sanctior reclamatione
veritas, quæ nos instruit, ut studia graviter tractando ad Deum acceda-
mus. *Si quis vestrum indiget scientiâ, petito à Deo, qui dat omnibus*
simpliciter, & non exprobrat, tum dabitur ipsi, Jac. I. 5. *Hermannum Con-*
tractum Antiphonarum in Ecclesiis usitatarum, Salve Regina & Alma
Redemptoris Mater, Autorem quidem esse *Natalis Alexander in select.*
Hist. Eccles. cap. sec. XI. P. I. p. 416. tradit, ast unde probabit Noster,

Marix virtute eum ad tantum eruditionis fastigium pervenisse? Quæ
de Alberto Magno adducit, fabulam redolent, ut eruditissimus Cave in
Hist. Liter. p. 731. rectè judicat, quamvis & novellus Historiæ Ecclesia-
sticæ scriptor, Alexander, Sec. XIII. P. I. p. 546. eam novò recensu denuò
approbet. Quò impensius autem Mariam amare soleant Pontificii
Scriptores, eò majori odiò contrà prosequuntur Lutherum, & qui ab
illò nomen sunt sortiti, inde non mirum, quod & nostro p. 256. Marti-
nus Lutherus sit *heresiarcha scelestissimus, in verbis, moribus & scriptis
furcus & pestilens.* De ejus scriptis in genere addit, *nullum gurgusti-
um fetentius, nullam camerinam putentiozem, nullam impietatem stolidi-
orem esse.* Idem iniquitatis plenum judicium tulit de *Joh. Wicklesi ac
Johannis Hussi* institutis, quod jam persequi non vacat. Scilicet est his-
ce hominibus hoc solenne, ut Lutheri merita, quibus universam Chri-
sti Ecclesiam ornavit & auxit, convitiis proscindant, ac maledictis one-
rent, cum & ipsi inveniant in Lutherò, quod debitâ excipiant veneratio-
ne, quemadmodum in peculiari Tractatu, qui *Ecclesiam Papæam Luthe-
ranæ Reformationis Patronam ac Clientem* sistit, Summè Rev. Dn. D. Maye-
rus masculè ivit ostensum. Ast Megalandro nostro, Luthero sanctissi-
mo, sua perstabit integritas, licèt mendaciorum plaustra secum afferant
iniquiores. Quid in libro incomparabili Illustris notusque omnibus
Seckendorffius, ut Lutheri gloriam assereret, præstiterit, meum non est
expedire. Nec impolita erunt egregia illa meletemata, quæ Summus
Virorum D. *Elias Vejelius*, Ecclesiæ Bono, utinam diutissime! adhuc
spiritum agens, adversus *Natal. Alexandrum*, Res seculi XIII.
XIV. XV. & partim etiam XVI. vindicaturus, dare meditatur, digna sci-
licet, ut propediem edantur in lucem publicam. Nec melior ipsi mens
fuit, cum de *Philippo Melanchthone*, hominum communi suffragio eru-
ditissimo, p. 259. scriberet: *Phil. Melanchthon & ipse heresiarcha, utpote
Confessionis Augustanæ auctor. Quis porro credat hominem polylogum
& poetam, & aliis humanis literis innutritum philosophicas disciplinas
non esse discendas defendisse, sed opere manuum vivendum, ac proinde de-
repentè pastorem factum. Ejusmodi fuit Melanchthonis institutum &
fides.* Miror tamen haud leviter, Virum hunc, alias non ineptum, &
qui eruditionis laudem venari studuit, ejusmodi falsa pro veris agno-
visse, ac consignasse literis. Nobis *Morhofii* magis arridet sententia,
quæ Melanchthoni summam, ex merito, tribuit laudem. Ita enim
ille

ille l. c. p. 224. nostrum celebrandum esse ratus est: *Quantus Vir fuerit Philippus Melanchthon, nemo ignorat; pluris sanè estimandus, quam vulgò fit.* Primus ille in Germaniâ disciplinarum omnium & purioris Theologiæ cum Luthero restitutor, nullum eruditionis genus intactum reliquit, ut in singulis habitare, non peregrinari, videretur. Tantum ergò abest, ut Melanchthon vitæ genus, cui se primum addixerat, immutaverit, ut potius ad extremum vitæ halitum usque literas coluerit, atque voce, scriptis & consilio, si à nimiâ recesseris Lenitate, Ecclesiam juvârit. *Ejus Viri* (iterum Morhofii celeberrimi verba recito) *vitam descripsit Joachimus Camerarius, Vir suo tempore doctissimus, & in humanioribus literis præ omnibus in Germaniâ excultus. Multa discas ex illo, quæ pertinent ad statum literarium & ecclesiasticum: omni enim scene, quæ tum adornabatur, vel præfuit vel interfuit Melanchthon, nomen omnibus Germanis meritò venerabile.* Nec aspernandum est Divi Lutheri Judicium, quod, in Doctorum scriptis ubivis obvium, de nostro tulit: *Qui Philippum non agnoscit Præceptorem, der muß ein grober Esel und Bacchand seyn/ den der Dünckel gebissen hat. Quicquid scimus in artibus & philosophiâ, illud debemus Philippo. Er ist wohl ein schlechter Magister, aber ist doch wohl ein Doctor über alle Doctores. Es ist auffm Erdboden keiner/der solche dona hätte als er. Darumb laßt uns den Mann groß achten / und das sage ich: Wer Philippum veracht/ der muß ein veracht Mensch für Gott seyn. Eat ergò Clemens noster, & Philippum nostrum è pistrinò iterum extrudat. Injurius porrò est Clemens p. 398. in Eruditorum Musæa, dum libros hæreticos è Bibliothecis exulare jubet, atque perpetuam Ecclesiæ & Christianorum Imperatorum consuetudinem, comburendi omnes libros, qui adversus Catholicam fidem prodirent, dilaudat. Sane id consilii detraheret potius, quam ornaret Bibliothecarum splendorem. Si lectores accedunt animo satis confirmato, hinc nullum damnum est metuendum. Sed hæc tyrannidis Papalis est indoles, ut in homines juxta atque libros agant crudeliter, omnesque interneccioni exponant. Plura adhuc urgere atque ex illo notare possem, ni ad alia jam esset properandum. Dum verò Clementis Musæi facta est mentio, quilibet mecum agnoscat, nostras Bibliothecas hoc Musæo sine damno posse carere, atque ad libros magis utiliores in hæc rerum inopiâ semper esse respiciendum. In deliciis habemus non immeritò *Musæum Ministræ*
Ecc*

Vale, quod D. Johannem Fridericum Mayerum, Theologum quaquã
venerunt celeberrimum, agnoscit autorem, ac Eruditorum huc usque
meruit applausum. Sed de libris in præsens nobis sermo non est, ad Mu-
sea potius seu *Festa Musis sacra* accedimus, quæ nobis, τῆ Φιλαδελφία
εἰς ἀλλήλων Φιλοσόφους, proximis diebus sunt celebranda. Vos enim,
Viri Reverendâ dignitate, eruditionis laude, morumque sanctimoniâ con-
spicui, Amici æstumatissimi, habetis cognitum perspectumque, ex More
hucusque laudabiliter recepto ad *Synodum Pastoralem* animum esse
appellendum, quò Benignissimo Numini, quod puriorem Ecclesiam,
quæ in *his Montibus* Christo colligitur, servavit integram, atq; à Pon-
tificiorum consiliis perniciosissimis liberavit, humillimas persolva-
mus gratias, Unitatem Spiritûs per pacis vinculum servemus, atque nos
invicem nostri admoneamus officii, quæque è Re Viduarum Orphano-
rumque Ordinis nostri futura credimus, asseramus constanter atque
tueamur. Quapropter blandò alloquiò & comitate Vos omnes, ne
unò quidem exceptò, literis hisce publicis invitatos volo ac cupio, ut
ad D. XXVI. Julii, qui D. *Anne* in fastis sacer est, me statò tempore, post
auditam horam sextam matutinam, salutetis, sacra primum in Templo
Majori celebretis, concionem Synodalem abs me σὺν τῶ Θεῷ haben-
dam audiatis, atque, præmissâ oratione consuetâ, in colloquium Theo-
logicum super conscriptas *de Spiritu Sancto*, Eòdem pariter Præside ac
Autore, ad *Job. XIV. 26.* theses, meumque congressum veniatis, eaque
ritè exequamini, quæ pietati Vestræ & amoris ex asse respondere pote-
runt. Advolate igitur, & Museum meû vestris precibus, consiliis & præ-
sentiâ longè gratissimâ exornate. Ipse DEUS intrabit Vobiscum Museum
nostrum, ac benedicet conatibus nostris, imò Ecclesiam Lutheranam
(hæc enim voti mei ac Vestri summa est) adversus Mariolatrarum & re-
liquorum hostiles insultus invictè prorsus tuebitur. Valete, *Fratres*
Dilectissimi, ac laboribus hisce Synodalibus Divinam Gratiam mecum
exorate, domi verò res Vestras ita disponite, ne, Vobis Absentibus, Pa-
rochiis Vestris ægrè fiat. Valete iterum iterumque! Dabam è
Museo ad D. VII. Julii A. M DC XCIX.

LIPSIÆ, excudebat Immanuel Titius.

h. 103, 19.

SYNODUM ANNÆM

Ad D. XXVI. Junii

TIMO
CELE
ADMODUM
DNN. COLLE
PASTORES, DI
SUBS
OFFICIO
L. GEORGI
GO



a
387

AM
M

S
ES,
UE

S

LIOTHEK

